

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Bernhard Ludwig Königsmann

**Prolusio Critico-Exegetica Qua Explorationem Iuventutis Litterariam In Athenaeo
Flenopolitano A. D. VI. Non. Octob. MDCCCLXXXVIII. H. L. Q. C. Suscipiendam**

Slesvici: Serringhusianus, 1798

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819296724>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn819296724/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819296724/phys_0001)


DFG

~~XXXI~~

F. C. - 1079,

F. C. - 1079.

Amt. Verl. Gräfe und Unzer.
Rostock im Nov. 1828.



AN MVNDVM EX NIHIL CREATVM TRADANT

LITTERAE SACRAE

PROLVSIO CRITICO-EXEGETICA

QVA

EXPLORATIONEM IVVENTVTIS
LITTERARIAM

IN

ATHENAEO FLENOPOLITANO

A. D. VI. NON. OCTOB. CLXXXVIII.

H. L. Q. C.

SVSCIPIENDAM

INDICIT

BERNH. LVDOV. KOENIGSMANN

EIVSDEM ATHENAEI RECTOR.

SLESVICI

TYPIS SERRINGHVSIANIS.

CLXXXVIII.

ТИАЛАТЕ МУТЫНДО СИХЕ ИМСКИИ ИА

ESTATE OF SANCY

PROBLEMS CHIUCHEI TIC

EXPLORATIONES INVENTATIS
HISTORIAS.

ОЧИТАЮЩИЯ СВЯТИНА

SACRIFINDVM

MEDICAL

ИИАМРОИКНОН АССУЛ НИДЯ

卷之三十一



anet mundi ex nihilo motum sit. Ceteros de ceteris levior
notis et iudicis nemus. transmilitio hereticorum obitum membrorum.

Totam hanc uniuersitatem aliquando ex nihilo prodiisse, eti vel
maxime videtur esse obuium atque expositum: tamen rei adeo
perspicuae veritas, mirum est, quam diu humanam intelligentiam fugisse
deprehendatur. Exsisterunt quidem antiquitus pagani philosophi non
pauci, qui mundi molitionem fabricationemque ad Deum auctorem re-
ferrent. Sed cum iisdem esset persuasisimum, ex nihilo fieri nihil posse:
tanti operis architecto aeternam quandam materiam adiungebant, vnde
ille rerum omnium complexus, ut statuebant ipsi, ab eo fuisset effectus
ac conformatus. Neque huic placito repugnare animaduertas priscorum
Iudeorum Christianorumque decreta. Sane vix inueniatur, qui ante
mediam alterius post Christum natum saeculi partem expressis verbis ad-
firmauerit mundi ex nihilo creationem. A paganis illis, quos dixi, phi-
losophis id non esse factum, ex instituto probarunt Mosheimius ¹⁾ et
Bellofobrius ²⁾. Quorum hic id ipsum de veteribus quoque Iudeis ac
Christianis ostendit ³⁾, Herma antiquorem talis effati parentem e poste-
rioribus neminem nouisse se fassus ⁴⁾. Cumque eorum neutri ab isto
dogmate fuisse alieni possent, si diuinis hoc tabulis satis aperte propone-
retur: etiam insuper sibi quaerendum duxit vir eruditissimus, num sacrae
litterae tam manifeste complectarentur pronunciatum illud, ut patere ea

A 2

res

1) peculiari quedam dissertatione, quea Cudworthiano systemati intellect. Tom. II. p. 957.
sqq. adiecta reperitur.

2) dans l'histoire de Manichée & du Manicheisme, Tom. II, liv. 5. ch. 2. p. 166. & suiv.

3) I. c. cap. 3. p. 182. sqq. et cap. 5. p. 234. sqq.

4) ibid. p. 230. Nos, cur ne illi quidem hoc adscribendum reamur, infra erit dicendi locens.



res vel inuitu deberet 5). Et tanta quidem claritate lucere abnuit loca ea, quibus idem vulgo confineri existimetur. Tamen tribui istis arbitratur vel sic oportere, quia et perspicue verum sit, et verba adhibita sensum illum admittant. In quo audiendum eum non putamus. Nec enim resert, opinor, nisi hoc vnum, quomodo illa loca intelligi voluerint ipsi eorum auctores. Id quod non ex verbis, per se spectatis; sed ex tota orationis serie iudicandum est. Vnde equidem potius inuestigare constitui, an abs quoquam scriptore sacro, ex sua ipsius mente, doceatur rerum ex nihilo ortus. Quod certe non magis mihi, quam aliis oppido multis videtur. E quibus nominasse sufficiat vnum de praestantissimis librorum diuinorum interpretibus, Ioannem Dauidem Michaëlis, qui de tali huius vniuersi ortu in sacro codice quidquam decerni negat 6).

Sed age excutiamus loca omnia, quae ex eodem codice in contrariam partem laudari non sine aliqua specie consueuerunt. Horum primus efficit ipsum eius initium, quod ita habere nemo nescit: **בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ**: Nulla sane est pars attributi, enunciatione ista comprehensi, vnde non mundi ex nihilo creationem elicere conati sint quidam. Alii praesidium quaesiverunt in vocabulo **ברא**; alii in verbis **בראשית את השמים ואת הארץ**; alii rursus in ipso **את הארץ**. Et illis quidem significat *ex nihilo efficere*: isti exponunt *primum scilicet ante omnia*, h. e. *cum practer Deum nihil dum exstaret*. Fuerunt quoque, qui plura ex istis interpretamentis, vel cuncta adeo consilii eiusdem caussa inter se copularent.

Sed

5) *ibid. cap. 4. p. 2c4. sqq.*

6) *Vid. eius Dogmatik, sect. 5. p. 246. sq.*

Sed vniuersa cum vsu loquendi aut orationis contextu, tum disertissimo ipsius Mosis testimonio abunde refelluntur. Nam בָּרָא nihil esse amplius, quam facere siue fingere, dudum obseruarunt Aben Esra ad h. I., Isaacus Vossius 7) et Richardus Simon 8). Quin ita explicat ipse Moses Gen. II, 4. cum ait: אלה תולות השמים ודוֹאֶרֶץ בְּהִבְרָאָם בְּוֹם עֲשָׂוָת יְהוָה אֱלֹהִים אַרְצֹוּשָׁמוּם: Haec fuit ORIGO caeliterraque, cum CREARENTVR, FACERETQUE Ioua Deus terram et caelum. Vbi non modo creare et facere; sed etiam creari et oriri s. nasci pro iisdem habentur. Verba enim illa: Haec fuit ORIGO caeli terraque, haud dubie notant: Sic orta sunt caelum et terra. Rursum commate antecedente Deus cessasse dicitur ab omnibus operibus suis, אשר בָּרָא לְעַשֵּׂות quae faciendis [iis] ediderit, h. e. simpliciter: quae fecerit. Vnde et commate superiori bis pro eo legitur עֲשָׂה, אשר Iudaeique Alexandrini, similem pleonasnum adhibituri, vertendum sibi censuerunt: ἀ πολέμων ποιῶν, quod haud secus valet: ἀ εποίησεν. Vtriusque istius redundantiae, Hebraicis Graecisque perquam visitatae, gratia consulendi sunt Dathius ad h. I., licet ipse nullam in eo redundantiam agnoscens, Olearius de filo N. T. p. 17. sq. et ad illum Schwarzius.


Verum et alias viri septuaginta בָּרָא constanter εποίησεν aut simili modo reddunt. Pariterque Samaritanus Gen. I, 2. et II, 3. idem exprimit τὸν Τλ̄מָס formauit, fecit. Quippe eam huic verbo, vicinis dialectis ignoto, vim potestatemque esse subiectam, firmatur saltem duobus aliis vocabulis, ex illa stirpe prognatis, quae in iis adhuc supersunt. Vnum est Rabbinicum טַלְמוֹס. Alterum, quod leui sane, eaque sollemini

A 3

pror-

7) de septuag. interpret. c. XI. p. 30. sq.

8) hist. crit. V. T. I. II. c. 5. p. 29. et I. III. c. 3. p. 10. interpret. Lat.



profus, metathesi fluxisse inidem videtur, cernitur in Arabico טַלְשָׁת. Quorum vtrumque formam factitiam, prius quidem personam s. laruum; posterius speciem magicam sonare constat. Accedit, quod dictus interpres Gen. I, 27. בָּרָא ter exponit כֹּן, quod itidem est formauit, fecit, ut Arabicum קָנָה, media 1, in coniugatione altera. Itaque et Borhannedinus in enchiridio suo sect. XIII. p. 162. בָּרוּ connectit cum verbis binis, quae iisdem illis significatibus vtuntur. Nam לא אלה, inquit, אלא אתה אלה לך לך אלכארוי אלמזרו Non est Deus, nisi tu, Deus effector, procreator, formatorque mundi. Similique iunctura Ies. XLIII. 7. בָּרוּ יְצַרְתָּנוּ אֲפָקָשְׁתָּנוּ procreauit, formauis effecique eum.

Quam formandi faciendue potestatem si quis fontem esse eius dixerit, qua perinde, ac Latinum *creare*, etiam *gignere* denotat, me quidem haud habebit repugnantem. Certe in Arab. בָּרָא et cum earum vtraque et ipsa obtineat: illam hac priorem esse nemo temere dubitet. Graecum quoque ποιεῖν et Latinum *facere* cum Hebraeorum עשות de procreatione adhiberi notum est. Veluti cum dicitur ωμα ποιεῖν, παιδοποιεῖν, oua l. pullos facere, עשות פָּרוּ cet. Postremo in בָּרָא si *gignendi* notio sit princeps: vix intelligas, quomodo cum ipsa cohaereat ille caedendi exasciandique significatus, qui in Piel adhuc manit superstes. Quod secus est, si hic idem, vt saepe alias, in *formandi* sententiam abiisse censeatur.

Attamen Michaëlis, ὁ πάντων, *gignendi* vim perhibet primam ac propriam τοῦ בָּרָא⁹⁾. Utunque est, etiam ista ad machinationem totius mundi natuarumque eius partium sat commode transfertur. Ciceroni

⁹⁾ Supplm. ad Iex. Hebr. n. 282. qui


quidem in uno Timaeo Deus dicitur mundum, animum, sidera GENVISSE¹⁰), PROCREASSE¹¹), GENERASSE¹²), idemque ab eo vocatur huius uniuersitatis quasi PARENTS¹³), PROCREATOR mundi¹⁴), ANIMI GENITOR¹⁵) et qui GENVERIT omnia¹⁶). Platonii autem ipsi, quemille expressit, Deus appellatur ὁ τύπος τὸ πᾶν γεννήσας¹⁷), ὁ ποιητὴς καὶ πατὴρ τοῦδε τοῦ παρτὸς¹⁸), ὁ γεννήσας [αὐτὸ] πατὴρ¹⁹). Et Lucretius I. II. v. 177. sqq. *Hoc tamen — ausim Confirmare — Nequaquam nobis diuinitus esse creatam Naturam mundi, quae tanta'st praedita culpa.* Itemque l. I. v. 623. et l. 2. v. 1115. *rerum natura creatrix.*

Sed deinde à perpetua Hebraeorum consuetudine recedunt, qui loca proposito אלה שמים ואת הארץ non ipsum *caelum terramque*; verum utriusque duntaxat *materiam* interpretantur. Nam quod Dau. Kimchi et Aben Esra hanc exsculpe volunt ex particula אֵת, niae illos vehementer fugit ratio. Habet quidem אֵת id cum multis aliis Hebraeorum particulis eommune, ut primitus sit nomen substantium. Sed ex origine sua usque generatim denotat *rem*²⁰), sensaque plane conuenit cum Hebr. עַמְּדָה²¹), Aram. עַמְּדָה et עַמְּדָה atque Arab. عَمَدَة. Quodsi igitur vel maxime sollicites puncta vocalia, legasque non אלה שמים ואות הארץ, ut est in vulgatis; verum אלה שמים ואות הארץ: tamen verba ista proprie notabunt non *materiam caeli et materiam terrae*; sed *rem caeli et rem terrae*. Atqui hoc nihil est aliud, quam *caelum et terram*, Quippe Hebrei eadem sic periphrasi loquuntur, qua Latini dicunt *rem cibi pro audiens ordinatio* *rem cibi pro eibo*.

10) cap. 3. 7. et 8. 11) c. 4. et 8. 12) c. 3. et 10. 13) c. 2. 14) c. 8. 15) ibid.

16) c. 11. 17) opp. vol. IX. p. 324. edit. Bipont. 18) ibid. p. 303. 19) ibid. p. 317.

20) Vid. Cl. Storii obseruati. ad analog. et syntax. Hebr. p. 263. sqq. 21) Vid. ibid. p. 265. sqq.



cibo, et Graeci πρᾶγμα I. χρῆμα ἀνθεώπου pro ἀνθεώπος²²⁾). Sin autem serues scripturam receptam, id quod fecisse videntur magistri commemorati: **את השם את הארץ**, utpote in quibus utriusque **הָאָרֶץ** aliud nomen **אֱלֹהִים** subiungitur, ne positis quidem materiam caeli et materiam terrae vertere, etiam si **הָאָרֶץ** materiam significare fumas, cum potius redenda forent: materiam caelum et materiam terram. Quod quam alienum sensuque vacuum sit, nemo non videt. Contra peropportune ad verbum interpretere: *rem caelum et rem terram*. Haec enim explicari debent: *rem*, quae est *caelum*, et *rem*, quae est *terra*²³⁾). Neque adeo magis differunt a *re caeli* et *re terrae*, quam *urbs Carthago* ab *urbe Carthaginis*, *urbs Roma* ab *urbe Romae* cet. Vnde palam est, siue litteram premas, fine minus, nihil verbis Mosaicis indicari, nisi *caelum et terram*.

Enimuero non grammaticis tantum ratiunculis conuincuntur, qui eadem verba exponunt *caeli terraque veluti semina*. Nam liquido iis repugnat etiam tota ista de mundi originibus narratio. Scilicet cum uniuersitate tradit Moses (Gen. II, 2. sq.), *sex illum diebus a Deo esse procreatum*, tum *eodem spatio complectitur singulas*, quas enumerat, opificii diuini partes, easque suo cuiusque diei adscribit. At inter has non referatur illud, quod **את השם ואת הארץ** considerit Deus. Quippe primo diei nihil praeter lucis generationem adsignari, id omni dubitationi eximitur verbis his, quae Gen. I, 5. leguntur: **ויהי ערב ויהי בקר זומת אחר**: *Tum accessit vespera et item mane, ut conficeret dies primus.* Loquitur ibi Moses supputantium ritu, qui ex pluribus partibus totum aliquod colligunt. Post lucem enatam advesperauisse; deinde autem

illuxisse

22) Vid. Vechneri hellenolex, I. II. c. 8. p. 524.

23) Cf. Storr, I. c. p. 264.

illuxisse rursus, h. e. diem noctemque praeterisse ait, quibus effectum sit
ημερονύμιον primum seu primus dies civilis. Vult igitur ille, vt dies iste
initium ceperit ab ipso lucis exortu. Ex quo cogitur, ante lucis pro-
creationem, de Mosis quidem sententia, nihil prorsus a Deo esse genitum,
adeoque nec illam caeli terraeque materiam.

Quodsi igitur loco explicando huius vtriusque conformatio, nec ta-
men peculiare aliquod Dei opus significatur: *caeli terraeque* appellatione
id ipsum intelligi debet, quod alias eo nomine indicare consuerunt Hebraei.
Solent autem illo constanter pro hac rerum vniuersitate vti, v.c. Exod. xxxi,
17. Ps. cxxi, 2. cxxiv, 8. cet. Estque bipartita illa totius mundi diuisio,
quippe quae sensuum iudicio nitatur, apud alias quoque gentes vt facile ve-
tustissima: ita et omnino perulgata. Varro de ling. Lat. I. IV. p. 8. *Loca*
natura, secundum antiquam diuisionem, *prima duo*, *caelum et terra*. —
A qua bipartita diuisione Lucilius suorum viius et viginti librorum ini-
tium fecit hoc: Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus. Vnde et
Lucretius, plures vno mundos esse ostensurus, I. IV. v. 1150. 54. *Nullo*
iam pacto verisimile esse putandum est, — *Hunc vnum terrarum orbem cae-*
lumque creatum. Lib. autem V. v. 247. *caelum terramque* appellat, quem
paulo ante dixerat *mundum*, *naturam mundi* et *hanc rerum summam*.
Sed a Mose quaevis systemata solaria, vt nunc quidem vocant, atque
adeo nullum non corpus caeleste narratione hac sua comprehendendi, perspi-
cuum plane est ex eo, quod post tellurem die tertio adornatam proximo
die non modo solem lunamque; verum et **הכוכבים** (cum **ה** demonstrat.)
stellas omnino omnes a Deo effectas esse tradit Gen. I, 16.

Iam si **השמים והארץ** est hoc vniuersum cunctorumque orbium
caelestium series: sua sponte patet, **בראשית** non posse denotare *pri-*



mum, cum praeter totius mundi compagem nihil quidquam reperiatur, et ne esse quidem fingue queat, quod a Deo fuerit procreatum. Sonat igitur בראשית, vt semper alias: ita etiam hie: *principio s. initio.* Sed quaeri conuenit, cuiusnam rei initium significari voluerit Moses. Atque id quidem ex ipsa enunciatione allata perfacile intelligitur. Confuetus enim ellipsi, de qua Glasius²⁴⁾, ex posteriori eius parte supplenda sunt, quae in priori deprehenduntur omissa. Quare ad בראשית *השמי וחרץ caeli terraque*, h. e., vt vidimus, *mundi*. Nec absimili ratione Tullius de nat. deor. I, 1. *An — a diis et a principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur, — in primis magna dissensio est.* Quo loco rerum omnium principium innui, ex subiuncto verbo *omnia planum fit*, vt substitui liceat: *An et omnia ab horum principio a diis fact. e const. sint, et ad inf. temp. ab iis regantur*, cet. In eundem modum et Xenophon memorab. Socr. I, 4, 4. οὐκοῦν δοκεῖ σοι ὁ ἐξ ἀρχῆς ποιῶν αὐθεώπους ἐπ' ὀφελεῖα προσθεῖναι αὐτοῖς, δι τὸν αἰσθάνοντας, ἐκαστα; Nonne ergo videtur tibi is, qui a principio fecit homines, utilitatis causa *ipfis adiunxisse quelibet sensuum instrumenta?* Vbi similiter illud: ὁ ἐξ ἀρχῆς ποιῶν αὐθεώπους, idem sibi vult, quod ὁ ἐξ ἀρχῆς αὐθεώπων (h. e. τοῦ γένους τοῦ αὐθεωπίου, generis humani) ποιῶν αὐτούς.

Quibus constitutis, totius effati Mosaici, si puncta vocalia sequare, quae in vulgatis exhibentur, hic emergit sensus: *Principio mundi Deus eum effecit.* At vero, ne quid disimulem, ea pronunciati illius mens quamquam per se quidem satis est probabilis: tamen ipsi scriptoris con-

filio

²⁴⁾ philol. fac. 1. IV. tract. 2. obseru. 12. p. 1226, sq. (Lipf. 1713.), 1. in Wakheri ellipsis Hebr., a Schulzio repetitis, p. 225, sqq.

=

filio parum mihi respondere videtur. Quippe vniuersam hanc de rerum natalibus narrationem non tam eo spectare appetet, vt mundum a Deo conditum fuisse doceatur (hoc enim sumitur potius, quasi iam aliunde notum), quam vt eodem, sex diebus confecto, Deus septimo die intellegatur esse feriatus, et ab omni opere fuscipiendo abstinuisse. Hinc cum studiosa illa variarum rerum, a Deo procreatarum, per sex dierum interualla distributio, tum maxime *totius* expositionis clausula (Gen. II, 1-3.), qua non modo iterum inculcatur, sex dierum spatio a Deo, quae aggressus sit, absoluta esse omnia; verum adiicitur etiam, hac ipsa de cauſa diem septimum vacationi ab eo datum fuisse, ac felicem prae ceteris sacramque esse iussum. Sed ab ea re vterius probanda otium mihi fecit Illustris Eichhornius²⁵⁾, quem et ipsum in hanc de narrationis Moſaicae scopo sententiam concesſisse video. Quapropter si vltimum istius confilium non eo continetur, vt Deum huius vniuersi auctorem esse ostendat: primo Geneseos commate nec summatim proponere censendus est Moſes, quae deinceps singulatim exsequatur. Ac profecto ille, si hoc voluisset, de iusto rerum tradendarum ordine seruando haud magnopere fuisset sollicitus. Nam a mundi originibus ibidem commemorandis esset altero commate ad eam terrae faciem indicandam progressus, quae origines illas *præcessisset*, et tum denique rediisset ad mundi initia per partes exponenda. Immo dixisset omnino, quae dixisse nolle. Etenim eodem illo commate secundo *ex* superiori intelligendum reliquisset *בראשית principio mundi*, tametsi non de eo ibi statu loquebatur, quo in mundi principio; sed quo *ante* illud fuisset terra.

B 2

Quae

25) G. dessen Urgeschichte im Repertorio für die bibl. und morgenländ. Litter. Th. IV. S. 164. ff.



Quae cum ita sint: nos quidem בָּרָא non cum editis בָּרָא; sed cum Aben Esra et Raschi בָּרָא putamus efferendum, vt verborum interpretandorum haec enascatur sententia: *Principio mundi, a Deo efficiendi,* siue quod idem est: *Cum ad mundum efficiendum accederet Deus: terra erat* cet. Geminus vtique locus est, ad quem magistrorum illorum vterque prouocat, Hos. I, 2. תְּחִלַת רֶבֶר וַיְהִי בַּהוֹשׁעַ וַיֹּאמֶר וַיְהִי אֵל הַוֹשׁעַ. Vbi vt תְּחִלַת per ellipsis dicitur pro בראשית וְרָא Prou. VIII, 22. pro בראשונה et בראשית וְרָא Gen. XXXIII, 2. Leu. V, 8. et Num. II, 9. pro לֶבֶר; בראשונה autem pariter, atque Exod. VI, 28. et Deut. IV, 15. adhibetur pro לֶבֶר, cum Pathach in priori syllaba. Vertendum igitur appetit: *Principio sermonis, a Joua ad Hoseam habiti, Hoseae dixit Joua.* Nempe et hic in וַיֹּאמֶר, et Gen. I, 2. in זְהָאָרֶץ particula וְנִפְקַד כִּיּוֹם אֲכָלְכֶם מִמְנוּ וַיְפַקֵּד עַנִּיכֶם Cum ederitis de eo: aperientur oculi vestri. Exod. I, 16. Cum בְּלֹדֶךָ אֵת חֻבְרִוּת וּרְאִיתָן עַל האבנִים obstetriciam feminis Hebraeis operam praestabilitis: inspicite sellam, parturientibus vestitam. Add. Num. IX, 19. et XVIII, 30. cum Deut. IX, 23. Sed ingens exemplorum nubes, e toto codice Hebraeo collecta, excitatur a Noldio in ipsius de particulis Hebr. opere p. 306. edit. Tympani.

Attamen hactenus ab Hoseae loco discrepat Mosaiicus, quod in illo quidem de actione iam praesente; in hoc autem בָּרָא de instanti demum ea adhibetur. Sed nihil frequentius est tali metonymia, qualis per consequens significatur antecedens, qualisque exempla bene multa,

e codice sacro petita, proposuerunt Glassius²⁶⁾ et Storrius²⁷⁾. Vnde et in eodem, in quo Moses, arguento similiter plane Diodorus Sic. biblioth. hist. I. 6., cum veteres physicos statuisse refert: κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων σύστασιν, μίαν ἔχειν ιδέαν οὐρανὸν τε καὶ γῆν, μεμιγμένης αὐτῶν τῆς φύσεως· μετὰ δὲ ταῦτα διαστάντων τῶν σωμάτων ἀπ' ἀλλήλων, τὸν μὲν κόσμον παραλαβεῖν ἀπασαν τὴν ὁραμένην ἐν αὐτῷ σύνταξιν, in primo huius vniuersi ortu unam caelo terraque fuisse speciem, natura eorum permixta. Postea autem corporibus a se inuicem disiunctis, mundum omnis illius, qui in eo cernatur, ordinis compotem euafisse. Quo loco κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων σύστασιν, in primo huius vniuersi ortu, idem esse, ac cum immineret primus huius vniuersi ortus, ex sequente μετὰ δὲ ταῦτα apparet.

Tantum igitur abest, vt narrationis Mosaicae ingressu doceatur rerum ex nihilo ortus, vt ex eadem potius iam ante mundi primordia adfuerit terrarum orbis, qui tertio diuini opificii die non procreatus demum; sed aquis solum nudatus visuique expositus esse perhibetur. Atque hoc ipsum quodammodo, licet satis dubitanter, significat etiam Michaëlis, ita quidem scribens²⁸⁾: „Moses sagt nicht allein mit keinem Worte, daß „vor der Schöpfung unsers Erdbodens (immo totius mundi), von der er „redet, Nichts gewesen sei (einer kann glauben: Die tausendste der Sonnen „wälzt jetzt sich, und ist deshalb mit Mose in keinem Streit); sondern er sagt „vielleicht gar das Gegenteil“. Paullo confidentius Richardus Simon, cum praeter vulgatam loci hactenus excussi interpretationem: *In principio creauit Deus eaeum et terram*, attulisset quoque varias alias, gram-

26) philol. Sac. I. 3. tract. 3. can. 7. p. 765. sq.

27) obseruatt. ad analog. et syntax. Hebr. p. 15.

28) in f. Dogmatik, Art. 5. S. 247.



maticis rationibus haud minus consentaneas, hunc in modum pergit²⁹⁾: „Ipsi peritiores Iudei aiunt, primam” [illam vetusti interpretis Latini μετάφραστον], „quam vulgo sequimur, non exactiorem ceteris, aut magis litteralem, quoniam aiunt, vocem Hebraeam *in principio* cum sequentibus connecti. Proinde reddendum: *Cum in principio creauit Deus* etc. aut: *Antequam creauit Deus.* Postremam hanc versionem „aliis Grotius praetulit. Non itaque ex his verbis Deum ex nihilo omnia fecisse euinci potest. Immo contrarium innui videtur, nimirum materia, ex qua Deus omnia creauerit”.

Progedimur ad alium codicis sacri locum, quo ad caussam suam probandam vtuntur sententiae examinandae patroni. Exstat ille Hebr. XI, 3. in haec verba: Πίστει νοοῦμεν, πατητέσθαι τοὺς αἰῶνας ἐγένατι θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φανομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, Credendo tenemus, diuino imperio conditum esse mundum, ut ex rebus visum fugientibus exorirentur eae, quae in oculos incurruunt. Alieno testimonio et sibi, et iis, ad quos scribit, Hebreis innotuisse ait auctor, quae hic de mundi natalibus commemorat. Itaque haud dubie petita sunt e sacris Hebraeorum libris. Et vero prior commatis allati pars perspicue expressa est ex Ps. XXXIII, 6. בְּרֵבָר וְרוֹחַ שָׁמִים נָעֲשָׂו Iouae imperio taclūm est effectum. Posterioris autem fundus continetur Gen. I, 2. vbi terra ante lucem, iccircoque, ut supra ostendimus, ante uniuersitatem hanc creatam sicut aquis submersa: ita tenebris obruta fuisse dicitur. Quare prorsus inter se conspirant Moses et Paullus, siue quis alias epistolae laudatae est parentes, cum hic mundum ita conditum scribit, ut ex rebus sub adspectum non cadentibus enascerentur eae, quae cernuntur.

Nam

29) hist. crit. V. T. I. III, c. 3. p. 9. interpret. Lat.

Nam μὴ φανόμενα sic, vt fecimus; non autem, vt plerisque placet, ea, quae non erant, esse interpretanda, ex opposito βλεπόμενα apparet. βλεπόμενα enim proprie debere accipi, documento est definitio τῆς πίστος, commate proximum antecedente a Paullo praemissa: ἔστι δὲ πίστις — πραγμάτων ἐλεγχος οὐ βλεπομένων, Fiducia vero est persuasio de rebus, quae non cernuntur. Quippe hanc definitionem statim illustrat ipse exemplo a mundi origine, ideoque a re praeterita arcessito, quae fuit illa quidem utique; sed quam nemo mortalium spectauit. Et in sequentibus comm. 27. eandem definitionem exemplo Mosis declarat, qui regis Aegyptii iram haud veritus reliquerit terram eius, tamque fortem se praestiterit, τὸν ἀόρατον θεὸν ως ὄφαν, quasi inadspectabilem Deum contueretur. Vbi ἀόρατος θεὸς haud sane notat eum, qui non est.

Hinc verba illa Paullina: εἰς τὸ μὴ ἐκ φανομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέα, וְהַלִּין רְמַתְחֹזֵין הָיוּ מִן אִילִין דְלָא מִתְחֹזֵין similiter vertit Syrus: וְהַלִּין רְמַתְחֹזֵין הָיוּ מִן אִילִין דְלָא מִתְחֹזֵין et ea, quae cernuntur, (composita esse) ex iis, quae non cernuntur. Idem igitur interpres et ipse aut μὴ ἐκ φανομένων, traiectione haud infrequenti, de qua Heinsius et Wetstenius ad h. l., pro μὴ φανομένων censuit esse adhibitum, aut ita quoque omnino legit. Quorum hoc fecere saltem Athanasius et Nysenus Gregorius³⁰⁾.

Sed fatis de loco isto, quem adeo non docere intelleximus, mundum ex nihilo existisse, vt etiam haud obscure innuat contrarium. Videamus ergo, magisne illud praestet is, qui Rom. IV, 16. sq. est obuius: Habet autem sic: Αθραδίου ἔστι πατήσ πάντων ἡμῶν — πατέντων οὖς ἐπιστευσε θεού, τοῦ ζωοποιούντος τοὺς νεκρούς, καὶ παλοῦντος τὰ μὴ ὄντα, ως ὄντα, Abrahamus nostrum omnium parens est beneficio eius, cui credidit, Dei, qui vitam

³⁰⁾ Vid. eiusd. Heinsii exercitatt. sac. et Wolfii cur. ad h. l.



vitam reddit mortuis, et, quae non sunt, vocat ita, tanquam sint. Sententiarum citato in loco nexus hic est. Diuino munere Abrahamo contigisse scribit Paullus, ut omnium, Christo credentium, siue Iudei essent, siue minus, fieret auctor ac parens. Idque illum consecutum esse eo, quod ipse crediderit promissis diuinis (Gen. XV, 1 — 6. et VI, 10. sqq.), consueto naturae ordini parum consentaneis, quippe quae posteritatis numerosissimae, ex Sara potissimum vxore ei tribuendae, spem illi fecerint tum, cum et ipse iam paene decrepitus, et Sara dudum effeta videretur. Sed Abrahamum diuinae potentiae esse confisum, *quae mortuos ab inferis reducat, et quae non sunt, perinde vocet, ac si sint.*


Praecipue ad rem nostram spectant postrema haec verba, quibus bina illa potentiae diuinae documenta haud frustra commemorat Paullus. Aperte enim respicit ad eam Dei virtutem, quae ad promissa eius seruanda requirebatur. De hac vt persuasisimum esse Abrahamo debuisse arguat, talem in modum concludit. Primum si vel homines vere mortuos in vitam reuocare Deus potest: quanto magis idem emortuis quasi atque enectis Abrahami et Sarae corporibus (*νεκρωμένον σῶμα* Abrahamo, et *νεκρών τῆς μήτρας* Sarae mox commate 19. adscribit auctor, sicut et in eandem sententiam de vtroque loquitur Hebr. XI, 11. sq.), quanto magis igitur his pristinum vigorem restituere, et vegeta illa ac robusta reddere valebat! Deinde si ea, quae nusquam sunt, ciere potest Deus, ac si iam sint, id quod in mundo condendo fecisse eum nouimus: multo etiam citius profecto quibat sollemni naturae lege prolem coniugibus excitare.

Repetita autem est metaphora illa *τοῦ καλεῖ* a domino, ad cuius vocem aduolat minister, seque coram eo sistit. Suggesit enim Paullo et hanc, et totam eam, cuius caussa adhibetur, sententiam Ies. XLVIII, 13.

vbi

וְיַדְךָ יָסֶרֶת אֶרְצָוִימָנוּ טְפֵחָה שְׁמִים קֹרֵא אָנוּ :
 ubi Deus de se ipse : אליהֶת יַעֲמֹד וְיַחֲרוּ : Manus mea fundauit terram, et dextra mea
expandit caelum. Ego vocabam illa, et adstabant pariter. Vocasse h. l.
 Deus caelum terramque dicitur, *antquam essent, adeoque idem ille,*
quae non erant, vocasse perhibetur ita, ut si essent. Iesaiæ quidem ad
extremos commatis allati tropos usurpando proxime ansam dedisse vide-
tur Ps. XXXIII, 9. : הַוְאָ אָמַר וְיַהְיָ הַוְאָ צֹחַ וְיַעֲמֹד : Praecipit ille,
et fit: iubet idem, et adstat. Hoc vero effatum haud dubie eo ntitur,
quod Mosaica de mundi primordiis narratio, cuius ipsius modo partem
expreffera poëta facer, Deum rebus gignendis solo imperio suo ortum
dare facit. Etenim diserte prorsus Ps. CXLVIII, 5. וְהַלְלוּ אֶת שְׁם יְהֹוָה
כִּי הַוְאָ צֹחַ וְנִכְרֹא Celebranto Iouae nomen (variae res conditae,
 in antecedentibus memoratae). Nam ipse iubebat, et procreabantur.
 Quare sicut omnibus his locis: ita et Paullini illius clausula nihil amplius
 significari intelligitur, nisi vniuersum istud mero diuinæ voluntatis nutu
 esse compositum atque coagmentatum. Ceterum eiusdem loci principio
~~κατέβατο — θεοῦ~~ est Hebraicum **לפנֵי אליהֶת** per Deum, munere ac
 beneficio diuino (conf. ibi Koppius); ~~εἰς ἐπίστευσην~~ autem noto Atticismo
 dicitur pro ~~εἰς ἐπίστευσην~~, vt in cur. suis iam Wolfsius obseruauit.

Expendendus restat locus unus, non ille quidem eiusmodi, vt diuina
 ipsi auctoritas tribuatur ab his, qui formulam Romanam non amplectun-
 tur; sed tamen comprehensus tali opusculo, qualia sacris libris annexa,
 cum iisque copulata videmus. Reperitur enim 2 Maccab. VII, 28. ubi
 filio mater: ἀξιῶ σε, τέκνον, inquit, αναβλέψαντα εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν
 γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα ἴδεντα, γνῶναι, ὅτι ἐξ οὐρανοῦ ἐποίησεν αὐτὸς ἡ
 Θεός.



θεος, καὶ τὸ τῶν αὐθεόπων γένος οὐτως γεγένηται, Rogo te, fili, ut caelum terramque intuitus, conspicatusque, quae in iis sunt, omnia, Deum ea fecisse agnoscas, cum non essent, hominumque genus sic ortum fuisse. Mundi partes omnes quod εἰς οὐκ ὄντων effectas ait auctor, hoc tantum voluisse potest, ut cooperiat eae aliquando, cum antea non exstarent. Namque idem perinde, ac reliquas, humanum quoque genus esse exortum scribit. Atqui ignorare ille nequibat, primos duo homines, quos ceterorum parentes praedicant sacra Hebraeorum monumenta, in his ipsis non ex nihilo; sed ex certa quadam materia generatos tradi. Nempe οὐκ ὄνται, scil. πρότερον, dicuntur etiam ea, quae ex materia aliqua proficiscuntur. Plato in Sophist. (Copp. vol. II. p. 299. sq. edit. Bipont.): ποιητικὴν — πᾶσαν ἔφαμεν εἶναι δύναμιν, ἣτις ἀν αἰτίᾳ γίγνυται τοῖς μὴ πρότερον οὖσι υἱοτερον γίγνεσθαι. — ζῶα δὲ πάντα θυτὰ καὶ φυτά, ὅσα τέπι ψῆς εἰς σπερματῶν καὶ φύσεων Φύεται, καὶ ὅσα ἀψυχα ἐν γῇ ξυνιστάται, σώματα θυτὰ καὶ ἀτηκτά, μῶν ἄλλου τίνος, ηθεοῦ δημιουργοῦντος, Φύεσμεν υἱοτερον γίγνεσθαι, πρότερον οὐκ ὄνται; — θήσω. τὰ μὲν φύεται λεγόμενα ποιεῖσθαι δέος τεχνῆ, Efficiendi artem dicebamus esse vim omnem, quae causam contineret, cur fierent postea, quae antea non fuissent. Mortalia igitur animantia cuncta et plantas, quaeque in terra ex seminibus et radicibus gignuntur, et quae vitae expertia in eadem coalescunt, corpora liquefacienda ac non liquefacienda, num quo alio, quam Deo fabricante, postea fieri dicemus, cum antea non fuerint? Ponam enim, quae natura creari feruntur, haec arte diuina effici.

Quocirca ποιεῖν τινα εἰς οὐκ ὄντων non uno modo adhibetur. Aut enim notat: facere aliqua, cum antea non exstarent, scil. ratione formae, h. e. cum nondum certa quaedam forma iis esset induta. Aut etiam valet:

facere

facere aliqua, cum antea non exstarent, scil. ratione materiae, h. e. cum nulla dum materia inueniretur, ex qua duci eadem et conflari possent. Prior illa significatio est huius loci. Atque ita Xenophon memorab. Socr.

II. 2. 3. τίνας οὐν, ἔφη, υπὸ τίνων εὑρούμεν ἀν μείζονα εὐεργετημένους, ἢ παῖδες ὑπὸ γονέων; οὓς οἱ γονεῖς ἐκ μὲν οὐκ ὄντων ἐποίησαν εἶναι, τοσαῦτα δὲ καλὰ ιδεῖν καὶ τοσούτων ἀγαθῶν μετασχεῖν, οἵσα οἱ θεοὶ παρέχουσι τοῖς ἀνθρώποις. Quibusnam igitur, inquit, a quibus maiora beneficia reperiamus tribui, quam liberis a parentibus? Quos, cum non essent, parentes fecerunt esse, totque pulchra videre ac tot bona percipere, quot praebent hominibus dii. Qui hic οὐκ ὄντες, eos esse negat Cicero Tusc. quaest. I. 6. „Quid miseri, quam omnino nunquam fuisse? Ita, qui nondum nati sunt, miseri iam sunt, quia non sunt.” Et apud Euripid. Ion. v. 980. Creusa, vt Ioni filio, quem ab Apolline per vim compressa ediderat, indecorae originis labem a se adspersam esse significet: οὐκ ᾖν, inquit, ἀδικηπτασχεῖν ἐξ ἐμοῦ, Cum non esset, iniuriam a me accepit. Vbi cum non esset idem sonat, ac cum nondum spiraret.

Hinc etiam qui *e vita excessere*, οὐκ εἶναι perhibentur, quamuis haud sane *in nihilum abierint*. Apud. eund. Euripid. Iphigen. in Taur. v. 556. cum quaeſiuit Iphigenia: εἰ ζῇ τοῦ ταλαιπώρου δάμας; Num viuit miseri illius (Agamemnonis) coniux? respondet Orestes frater: οὐκ ἔστι, Non est. Philo Iud. de Iosepho p. 528. (Francof. 1691.): εἰπατε, ζῇ, ἢ τέθηκεν; εἰ μὲν οὐκ ἔστι, δεξατέ μοι τὸν νεκρὸν, Dicite, viuat an perierit. Quodsi non est, ostendite miki cadauer. Thucydid. I. II. p. 129. (Vall. 1564.): τὸν οὐκ ὄντα ἀπας εἰωθεν ἐπαινεῖν, Qui non est, eum laudare unusquisque solet. Cic. Tusc. quaest. I, 7. de mortuis: Quia non sunt, cum fuerint, eos miseros esse [dico]. Eosdem non esse et nullos esse saepius idem ibid.



c. 6. 7. et 38. Nec aliter Plaut. Bacch. II, 2, 26. *nullus est pro diem suum obiit.* Atque Hebreai אַיִלְלָה, sensu haud diuerso, velut. Gen. V, 24. XLII, 13. 32. Ps. XXXVII, 36. cet.

Totius quidem locutionis, modo exemplis illustratae, rationem appetit Aristoteles de generat. et corrupt. I, 3, 19. Δοκεῖ δὲ μᾶλλον τοῖς πόλεσι τῷ αἰσθητῷ καὶ μὴ αἰσθητῷ διαφέρειν [τὸ ὄν καὶ τὸ μὴ ὄν]. ὅταν μὲν γὰρ εἰς αἰσθητὴν μεταβάλῃ ὑλην, γίνεσθαι φασιν· ὅταν δὲ εἰς οὐφανῆ, φθείρεσθαι· τὸ γάρ ὄν καὶ τὸ μὴ ὄν τῷ αἰσθάνεσθαι καὶ τῷ μὴ αἰσθάνεσθαι διορίζουσιν. — παθώμερον δὲν αὔτοι τῷ αἰσθάνεσθαι, ή τῷ δύνασθαι, καὶ ζῆν, καὶ εἶναι νομίζουσιν, οὕτω καὶ τὰ πράγματα, Vulgo autem hoc potius differre videtur id, quod est et quod non est, ut sensile sit, aut non sensile. Cum enim quid in sensilem materiam mutatur, oriri dividunt; cum in non sensilem, interire. Nam quod est et quod non est, eo distinguunt, ut sentiatur idem, vel non sentiatur. Quemadmodum igitur ipse et viuere, et esse se putant eo, quod sentiuntur, vel possunt sentiri: ita et res similiter se habere existimant. Vnde et Plato in Sophist. (opp. vol. II. p. 259.): οἱ μὲν — διεσχυρίζονται, τοῦτο εἶναι μόνον, δὲ παρέχει προσβολὴν καὶ ἐπαφήν τινα. Nonnulli hoc solum esse contendunt, quod accessum quendam et tactum admittat. Conf. quoque Cesaub. exercitatt. Baron. p. 77. sq.

Quare οὐκ εἴναι, cum sic usurpari consueuerit: equidem vehementer dubito, an vel ipse Hermas docuisse arbitrandus sit mundi ex nihilo progenerationem. Id quod de Bellosobrii sententia eum ex Christianis scriptoribus primum fecisse in commentationis huius ingressu animaduertimus. Praestitisse ille hoc putatur Pastoris sui³¹⁾ I. II. mand. I. Πρῶτον πάντων πίστεω-

31) Eum habes in Fabric. cod. apocryph. N. T. part. III. p. 737. sqq., qui Graeca ipsius fragmenta etiam antiquiora exhibet biblioth. Gr. I. V. c. I, p. 9. sqq.

πιστευον, ὅτι εἰς ἔστιν ὁ θεὸς, ὃ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταργήσας καὶ ποιήσας
ἐκ μὴ ὄντος (leg. ὄντων) εἰς τὰ εἶναι, Primum omnium crede, unum
esse Deum, qui omnia considerit, et struxerit et fecerit, ut essent, cum non
essent antea. At enim Philo Alexandrinus, quem materiae primae aeter-
nitatem statuisse certum est³²⁾, eodem prorsus modo loquitur de vit. Mos.
1. III. p. 693. ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὰ εἶναι τὸ τελεότατον ἔργον, τὸ
κόσμον, ἀνέφηνε (ὁ θεὸς), Ut esset, cum non esset antea, perfectissimum opus,
mundum, protulit Deus. Exstat quidem etiam alias Hermæ locus³³⁾,
vbi ex veteri interpretatione Latina (nam Graeca interciderunt) Deum
ait ex nihilo ea, quae sint, condidisse. Sed cum Origenes³⁴⁾ Hermam
haud secus, ac secundi de Maccabæis libri auctorem, scripsisse tradat,
Deum ex non entibus fecisse entia: facile patet, in Graecis fuisse: ὁ θεὸς
ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησε τὰ ὄντα.

Quodsi igitur Hermas mundum ex nihilo existuisse noluerit: cadit sane
validum illud argumentum, quo vno impediri se profitetur Bellosobrius,
ne adstipuletur Sandio, Hermam ab eo Hermete, qui Poemandrum ex-
clusit, haud diuersum esse sentienti. „Sandius conjecture,” inquit vir
„egregius³⁵⁾,” que l'auteur du Poemandre est le même Hermès ou Her-
mas, qui a composé le livre, intitulé le Pâtreur. Effectivement le
„nom, la méthode, l'imposture font à peu près semblables. Aussi
» le docte M. Fabricius ne s'éloigne pas de cette pensée³⁶⁾. Mais

C 3

une


32) Vid. Bellosobrius histor. Manetis et Manichæismi, Gallice quidem conscripta, Tom. II,
l. 5. c. 3. p. 188. sqq.

33) ap. Fabric. cod. spor. N. T. part. III. p. 776.

34) ibid. p. 750. 35) l. c. p. 201.

36) Sicut longe tamen ab ea sententia abire videtur, cum sit biblioth. Gr. I. x. c. 7. p. 47. sq.

qnm



„une forte raison m' empêche d'y souscrire. C'est qu'Hermès, auteur du livre du Pasteur, soutient que la matière du monde a été tirée du néant et que le faux Hermès soutient au contraire que cela est impossible.”

Verum haec hactenus. Cetera quidem facri codicis loca, quibus mundi ex nihilo creationem probari volunt nonnulli, v. g. Io. I, 3. et Apocal. IV, 11., cum feuerioribus paullo iudicibus vix videri queant alicuius ad eam rem momenti esse: faciendum non putamus, praesertim post dicta ante, vt iis ponderandis immoremur. Vnde potius eo, cuius caussa haec praemisi, officio functurus indicabo explorationem iuuentutis nostrae litterariam, d. VI. Non. Octob. inde ab hora matutina IX. peragendam.

Cui sollemini vt frequentes interesse haud grauentur SENATVS AMPLISSIMVS, VENERANDVS ORATORVM SACRORVM ORDO, et quicunque apud nos litteris harumque cultoribus fauent, maiorem in modum ab iis peto atque contendo. Scribeb. Flenopoli prid. Id. Sept. cloccLXXXVIII.

quem locum citat ipse Bellofobrius: „Ut vero — hic Poemander — audacter tribuat Hermē isti Christiano, — nescio, sine opus maioribus argumentis, quam sola nominis conuenientia, qua ductus facere hoc non dubitat Sandias.”






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn819296724/phys_0030](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819296724/phys_0030)

DFG



ωπον τέλειον ἐν Χριστῷ, Nos Christi (doctrinae Christianae) appeditamus, unicuique tradentes totam sapientiam diuinam, Christum (per eius doctrinam) efficiamus unumquemque omnis-
is absolutum.

cum ita sint: excussum hactenus Matthaei locum sic
ndum arbitror:

acti igitur in persuasionem salutarem adducite cunctas
Et lustrali quidem aquae eas immergite, vt Patrem et
butumque huic spiritum diuinum profiteantur. Caelesti
trina impertite easdem, vt seruent omnia, quae vobis

e haec de argumento proposito. Reliquum est, vt paullo
commemorem follempnia, a. d. XVII. Calend. Mai. apud
randa. Namque post horam matutinam eius diei nonam
nostro suscipietur litteraria cunctorum huius alumnorum
Qua peracta, ex eorum primoribus sua quisque vice in
adscendent iuuenes quinque, patria omnes lingua dicturi,
atuor propediem concedent in ampliora academie spatia,
ne ex iam nominandis nouissimo, hic etiamnum remanente,
autem

IOANNES BOYSEN
FLENOPOLITANVS

itu Darii Codomanni verba faciet. Deinde exponet

IACOBVS

011

Patch Reference numbers on UTT

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011